Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 809
Quelle:
Copyright:

nu usque ad *Honorium* II. electum a. 1124. aliis manibus adjecti sunt Successores usque ad *Lucium* III. a. 1181. inauguratum. *Clementi* subscriptus *Anacletus* dicitur sedisse *annos IX. menses II. dies* X. *Xysto* additum: *ex patre pastore, Telesphoro: Hic constituit ieiunium et missas in natali.* Post *Caium* intruditur *Crisogonus* nullo tempore regiminis adjecto. *Marcellinus* et *Marcellus* bene distincti. *Eusebius qui et ciriacus. Sub istius tempore inuenta est crux christi et iudas baptizatus*, fortasse pro *Judaei. Siluester. hic baptizauit constantinum quem dominus curauit a lepra. Damasus. cum eo ordinatur sub intentione vrsinus et facto concilio firmatur damasus. Vrsinus constituitur episcopus neapolis. Bonifacius ex patre Jocundo presbitero cum hoc ordinatur eularius* (Eulalius) *una die et fit una die in clero et populo. Mense VII. die XV. uterque ab augusto eicitur. Eularius uero ordinatur in basilica constantinopolitana, alter in basilica iulii. Facto concilio bonefacius restituitur, alter mittitur in campaniam.* A *Bonifacio* insertus *Constantinus.* Ad *Symmachum: Cum hoc ordinatur laurentius una die et fit dissensio inter clerum et senatum. hanc dissensionem soluit theodericus rex et confirmauit symmachum papam qui simmachus constituit laurentium in nucrena* (Nuceria) *episcopum.* Ad *Bonifacium II. Cum hoc Dioscorus ordinatur et post paucos dies moritur. Hic constituit non sibi successorem ordinare.* Sequitur *Mercurius qui et iohannes* (II.) *Agapitus. Ex Gordiano presbytero. Silverius. Huius tempore tanta fames fuit ut mulieres filios suos comedissent pre fame. Pelagius. Hic ordinatur sine iussu principis. quia longobardi obsederant romam. Johannes* III. positus post *Benedictum.* Ad *Gregorium* M. *hic exposuit omelias euangeliorum XL. iob XXXV. in ezechielem XXI. Sabinianus. Hic dari iussit R.* (Romanis?) XXX. *modios tritici pro solido uno. Bonifacius* (III.) *Hic fecit memoriam omnium sanctorum. Deusdedit* praepositus *Bonifacio* IV. Omissus *Adrianus III. Donus* II. scriptus *Donnidesuri*, eique postpositus *Bonifacius* VII. Inter *Gregorium* V. et *Silvestrum* II. visitur *Johannes* cum addito: *qui turpiter uitam finiuit. Benedicto* IX. subjicitur *Silvester* dictus III. Omittitur *Victor* III. A Johanne XVII. deorsum plerisque adscribuntur nomina, quibus ante Papatum fuere, sed nihil aliud.

XXII. *fol.* 138. *Incipit liber sancti methodii episcopi patarensis de regnis gentium, de nouissimis temporibus, certa demonstratio christiana.* Initium: *Sciendum nanque est quod exeuntes adam quidem et eua de paradyso uirgines fuere* &c. Etiam *Cod.* DCXXXII. indicatus. Ad calcem cubat *Caput 83. Hier. de Viris illustr.* agens de *Methodio*, qui utique Libelli nostri autor non est. Tribus *ult. Codicis pagg.* rursus illitae sunt Notae e variis PP. quas, uti et supra jam toties memoratas, minutius per-